

CETRARIA.

295

Lichen nivalis Lich. Pr. p. 171. LINN. S. N.

— *Lich. candidus* LAMARK Fl. Fr.

Icon. *Fl. Dan.* T. 227. DILL. T. 21. f. 56. A.

Habitat in campis sterilibus siccis sabulosis.

Obs. Laciniis latioribus plano-convexiusculis reticulato-lacunosis frequenter laciniatis & quasi fimbriatis, basi fulvis & flavescens nec non statura ut plurimum minori a præcedentibus distincta, quamvis & major & minor occurrat, nam in campis aridis vix pollicem alta, basi flavissima. Apothecia apud nos numquam hætenus observata, sed vidi in exemplare a Cl. LUDWIG in Sudetis lecto & ad Amiciss. SWARTZ misso. Hujus aut varietas aut distincta forsitan species est

β. *C. Linnæana*: thallo toto albo; peltis submarginalibus rubellis, margine integro. †

Lichen n. 446. LINN. Fl. Lapp. p. 341.

Icon. LINN. ibid. T. 11. f. 1.

Habitat in Dalecarlia Sveciæ.

Obs. Tam a *Cetraria cucullata* quam *C. nivali* differre videtur hic Lichen, post LINNÆUM a nullo adhuc inventus. Thallus, ut ab Eo describitur, totus albus; apothecia magnitudine pisi, in lobulis terminalia saturate rubra, margine integra. Figura Ejus ad exemplare siccatum & compressum facta habitum Lichenis dubium reddit.

4. CETRARIA *lacunosa*: thallo cartilagineo-membranaceo expanso rotundato-lobato, demum vage laciniato rugoso-reticulato celluloso albo subvirescente; peltis elevatis submarginalibus tumidulis rufis, margine tenui subintegro.

Icon. Tab. nostra 5. f. 3.

Habitat in America boreali.

Obs. Lichen adhuc junior membranaceus e lobulis rotundatis rugoso-reticulatis confertis subimbriatus, sterilis. Thallus in vetustiori Lichene di-

lata-

latatus ereciusculus cartilagineus rigidus cavernosus & scrobiculatus venis elevatis reticulatus, margine supremo vage laciniato ibidemque peltas proferente amplas sessiles subrotundas flexuosas sublobatas & difformes, margine accessorio tenui albido cinctas.

5. *CETRARIA fallax*: thallo membranaceo cinereo subtus albo nigro-submaculato inciso lobato, laciniis planis diffusis complicatis lacero-crispis; peltis elevatis marginalibus spadiceis.

Lichen fallax Lich. Pr. p. 169. WEB. Spicil. Fl. G. p. 244.

Icon. MICHEL. Gen. Plant. 75. T. 37. DILL. T. 22. f. 58.

Habitat ad rupes & arborum truncos.

Obs. Qualis communiter occurrit sterilis est & ægre a *Cetraria glauca* distinguitur; differt vero magnitudine, laciniis longioribus, magis incisis, diffusis, nec depressis, subtus albis, numquam atris aut fuscis; peltis terminalibus magnis.

6. *CETRARIA glauca*: thallo membranaceo glauco subtus nigro sinuato-lobato, laciniis planiusculis depressis complicatis margine adscendentibus lacero-laciniatis crispis; peltis rufo-fuscis.

Lichen glaucus Lich. Pr. p. 167. LINN. S. N.

Icon. MICH. Gen. T. 50. f. 1. MORIS. HIST.

3. T. 7. f. 4. HOFFM. Enum. L. T. 20. f. 1.

Habitat in truncis & ramis arb. inque saxis.

Obs. Laciniæ minores & breviores quam in *Cetraria fallaci*, cui alias simillima. Apothecia rarissima nec umquam a me visa, neque sufficienter descripta. Perquam variat colore & forma thalli: lobis scilicet ereciusculis, subrotundis, amplioribus, plicato-undulatis, tenuiterque laciniatis, (DILL. H. M. T. 25. f. 96. B.) fimbriatis margineque crassiori pulverulentis. Subtus interdum colore albo & ni-

cat

METHODUS
QUA
OMNES DETECTOS
LICHENES
SECUNDUM ORGANA CARPOMORPHA
AD GENERA, SPECIES ET VARIETATES
REDIGERE ATQUE OBSERVATIONIBUS ILLUSTRARE
TENTAVIT

ERIK ACHARIUS. M. D.

PHYS. PROVINC. OSTROGOTHICÆ, AD REG. NO-
SOC. VADST. MED. PRIM. ORD. REG. ACAD.
SCIENT. STOCKH. SOCIET. PHYSIOGR. LUND.
PHYS. GOTTING. ETC. SODALIS. SOCIET.
PHYTOGR. GOTTING. MEMBR. HONOR.

Sectio prior.

*Cum Tabulis æneis Icones novarum Specierum et
Figuras charact. Genericorum exhibentibus.*

STOCKHOLMIÆ,
IMPENSIS F. D. D. ULRICH.
TYPIS C. F. MARQUARD
1803.

MYCOLOGICAL LIBRARY
JOHN A. STEVENSON